



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LXXIV. Salomonis Dedecora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

quatuor annos, tempore Sedeciae Regis, à Chal-
dæis incensum in cineres defecit, porticus unica,
quæ *Salomonis*, posteris quoque sæculis, vocabatur,
instaurata remansit, de qua Apostoli admirabundi
ad Christum: *Magister aspice, quales lapides, & quales*
structura? Marc. 13. E cineribus diu post surrexit
alterum (quod à Scriptoribus *Secundum* appellatur)
permisso Cyri, Regis Persarum, post captivitatem
Babylonicam, Duce *Zorobabele*, ædificatum, altitu-
dine tamen non ultra sexaginta cubitos excrescen-
te, caventibus id regijs Præfectis, ne moles subli-
mius educta, sub religionis specie, rebellionis fie-
ret propugnaculum. Quod ipsum templum, mul-
to post tempore, nempe Anno Mundi 4035. Ante
Christum. 18. Herodes spatijs dilatavit, porticibus
novis exornavit, minimè tamen novum (quod Jo-
sephus vult) excitavit, reclamante Aggæo cap. 2.
qui ex Oraculo Divino prædixit, *novissimam hanc do-*
mm (Zorobabelis) gloriosiore fore priore; ejus-
que præsentia cohonestandum, qui *veniet Desideratus*
cunctis gentibus. Sæpè; quod pietas ædificat, ingra-
tudo destruit. Nemirare, tantam ædificij Maje-
statem pessum iisse. Nobilissimam fabricam non
tam manus Chaldæa, quàm Salomonis populique
scelera in cineres dederunt.

NARRATIO LXXIV.
SALOMONIS DE-
DECORA. 3. Reg. 11.

Ab

Ab Anno Mundi 3048. ad ann. 3059. quò de-
cessit. Ab Anno Chr. 1005. ad 994.

O Prodigious Antithesis ! Salomoni quid diffi-
milis Salomone ? è mortalium sapientissi-
mo dementissimum effecerunt Vitia. Quid
illustrius priore gloria ; quid ignominiosius posteri-
ore dedecore ? corripit sapientiam stultitia , inno-
centem adolescentiam nequissima senectus , religio-
sam juventutem propudiosa canities. Initium ru-
inæ ejus , superbia. Potentiæ namque magnitu-
dine , prudentiæ miraculo , cunctorum veneratio-
ne præcipitatus in arrogantiam : ab hac , *omni ne-
quitiæ radice* , gradum fecit ad nimium suæ amorem &
admirationem. Nam quorsum illa quinquaginta
septem millium & sexcentorum equorum copia ;
quorsum tanta magnificentia in mensa , & familia
regia ; nisi ad inanem ostentationem & plausum ?
Amorem suæ comitata est animi mollities , omnis
generis delitijs & oblectamentis fracti. Ingens
conviviorum & vini luxus , ut de se ipso usurpare
non erubuerit verba illa , Ecclesiastæ cap. 2. *Vadamus
& affluam delitijs , & fruam bonis.* Et dum gloriatur
ibidem , se plantasse vineas , non omittit meminisse
scyphorum , & urceorum in ministerio ad vina fundenda ; nec
veretur confiteri , se omnia , quæ desideraverunt oculi ,
non negasse eis : nec prohibuisse cor suum , quin omni volupta-
te frueretur. Et quem alium , nisi se ipsum perstrin-
git , quando principum manè comessantium me-
minit eodem libro , cap. 10. Quid aliud voluit in-
structio Betsabæ , matronæ prudentissimæ , quando
filium etiamnum puerum sollicitè hortata est , ne
quando

quando temulentiae & improbae mulierum consue-
tudi se dederet, quippe quem sciebat, in utrum-
que vitium admodum proclivem esse. Verba pa-
rentis amantissimè monentis ipsemet memorat Pro-
verb. 31. *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid di-
lecte votorum meorum? Ne dederis mulieribus substantiam
tuam, & divitias tuas ad delendos Reges.* (libido enim
Regum opes exhaurit) *Noli Regibus, o Lamuel, (o
DEI electe) noli Regibus [tibi inquam] dare vinum:
[immodicum] quia nullum secretum est, ubi regnat eb-
rietas.* Quid dicam secretum? nulla fides, nullus
pudor, nulla sapientia, cujus te studiosissimum vo-
lo. Praesaga malorum insequentium fuit genitrix.
Nam Salomon ex his initijs ad voluptatum ac deli-
ciarum quarumvis indulgentiam, & experimenta
prolapsus, in absurdissima mala cadere coepit. Pau-
latim igitur pietatis studia refrigescere, rerum Di-
vinarum oblivio induci; pro sacris cantibus; pro-
fanis cantorum & cantatricum vocibus regia perso-
nare. Ab his illecebris pronum fuit, insanis fami-
narum amoribus irretiri; cum enim, quantum ju-
nior sapientiam, tantum senex mulieres, & ampli-
us adamaret, novas identidem sibi nuptias, ex om-
ni puellarum Orientis numero suscitabat. In his
non erant Israëlites modò; sed, [quod fieri lex veta-
bat] filia Regis Aegyptij; virgines Moabitides,
Ammonitides, Idumææ cum Sidonijs & Hethæis,
quas Salomon tantò flagrantiore, quantò minùs
concesso furore deperibat. Flagitiosum, pænè di-
ctu, cogitatuque, nedum factu! mille faminarum
thalamis unicam impletam esse regiam. In qua-
rum omnium amores non tantum, sed omnia vota
Y æstu-

æstuans, indulſit petentibus ſuorum cuique genti-
litiorum Deūm ac Dearum [*Aſtarthes* Sidoniorum,
Chami Moabitarum, *Molochi* Ammonitarum, & ali-
orum gentium aliarum idolorum] aras, ſimulacra,
cultum. Et qui ſoli Vero, Sanctiſſimoque Num-
ni Templum antehac auguſtiſſimum ac toto tem-
rum orbe celebratum erexerat: idem poſtea ſingu-
lis pænè peregrinis uxoribus ſuis, ſingula Dæmo-
num fana delubrâque conſtituit. Idem ſimulacra
eorum ſupplex, thus adolevit, victimas cecidit,
vota precèsque nuncupavit.

Quàm blandus autem mulieribus, tam aſper po-
pulo fuit Iſraëlitico: quem exactionibus, Tyranno
quàm Regi, propioribus exfuxit. Pto-
dem & Avarus, aurum & argentum unde unde co-
raſit, ut haberet, quod in Veneres ſuas effunderet.
quid enim non exigebant tot mulierum delicatili-
marum quotidiana menſæ, convivia, ludi, donaria,
mundus muliebris, aurum, gemmæ, res omnes
veſtiaria; quantum divitiarum una talis fæmina
aure ſolet unicâ geſtare; quoties inde bina vel tria
patrimonia pendent! Quòd ſi *Reginis* [id eſt, uxori-
bus primarijs & regiâ proſapiâ oriundis] ſep-
gentis, pro comitatu ſingulis addamus pedifſequas
ſeu ancillas ornatrices, ſex: trecentis verò concubini-
ms, ut Scriptura S. loquitur, [id eſt, uxoribus ſe-
cundarijs, quæ non erant dominæ, ſeu matres ſervi-
milias, ſed quaſi proletariæ, & propagandæ tantum
ſobolis cauſâ quæſitæ] non niſi tres famulas con-
cedamus; erunt univerſim fæminarum quadringenti
gentæ, ſupra quinque millia. Hem, quantus ſexus
quioris ſexus exercitus, quantas exhauriens imper-

is! Et quia libido hiantes requirit loculos; per fas & nefas ab effeminato Rege coactum est, quod in tot lasciviam thalamorum expenderetur. Veteris dictum est Philosophi: Cui nihil satis est, eidem etiam nihil turpe est; de Salomone vice-versa: Cui nihil turpe erat, nihil etiam satis erat. Qui eò denique redactus est inopiæ, ut qui annuis redditibus sex auri milliones ex oleo, vino, frumento habuit, præter tot insuper vectigalia, indictiones, tributa, collectas, dona; laborante tamen ærario, Subditos acerba contributionum vexatione flagellârit.

Hinc [ô incredibile præcipitium!] in magiam devolutus, præstigijs deditus ac orcinis artibus, cœpit curiosa & inconcessa scrutari, & in conjugum suarum fascinationes, incantationes, veneficia studiosius indagare; illæ Regem amoribus ac philtis potionatum, aliæ alijs præripere, & suis amplexibus illigare, magicis auxilijs laborabant. Ita post amissam sapientiam, innocentiam, pietatem, relictum de DEO sensum, & magnam partem dilapidatas opes, etiam famam, gloriam, potentiam perdidit: & *amabilis* ille quondam Domino, factus est DEO, & hominibus *execrabilis*; malis autem genijs familiaris & amicus.

Neque sic tamen præcipitato, defuit adjutrix DEI manus, si ad meliora invitanti, audiens esse voluisset. Semel, iterumque familiari Numinis affatu monitus, poenisque imminentis adversionis propositis, cum ad sanio rem mentem necquicquam revocaretur, & tam hortatus, quam minas cælestes haberet insuper, denique ablegatur ad eum *Ahas* Propheta, qui cum severa ingrata mentis expro-

bratione , denuntiat impendentem tot sceleribus vindictam , tot annis , tam densa flagitiorum fœditate provocatam ; commeruisse quidem impietate sua , ut , qui à DEO , à quo regnum acceperat , tam nefariè descivisset , ipse quoque à subjectis populis fastigiò regiò deiiceretur ; id ne fieret , obstare promissa Numinis , Davidi facta ; pœnas tamen Roboamum filium , mali milvi malum pullum , daturum , & quâ sua , quâ parentis scelera , decem tribuum defectione luiturum . Tam triste vaticinium , etsi vehementi Salomonem mœrore afflixit , nihilo tamen effectus inde melior , libidinibus & varijs Gentium idolis operari perseveravit . DEUS , ut depravati contumaciam animi asperioribus remedijs vel sanaret , vel castigaret , infestis eum hostibus exagitandum objecit . Primus in eum insurrexit *Adad* Rex Idumææ , Davidis tributarius ; hic contempta Salomonis delicijs enervati imbelliâ , jugum excussit , regnûmque suum liberi juris fecit , Post hæc arma corripuit *Razon* , Syrus , qui Regnum Damasci precarium à Davide obtinuerat ; quod ut proprium sibi vindicaret , Israëlitarum ditionem crebris incursionibus vexabat , omniâque rapinis & cadibus miscebat . Externis bellis intestina seditio accessit , quam *Ieroboamus* , vir è tribu Ephraimitica , conflavit . Is , cùm annos jam aliquot , suam Regni industriam , solertiâque in præfectura fabrorum multùm probâisset , ad quæsturæ munus evectus , duarum tribuum , *Ephraimitica* , & *Manassea* tribuum colligendis præpositus est . Fortè quæstorij officii rationes sic ferebant , ut extra urbem Hierosolymam , non sine forensi comitatu progressus , regio

ffico
res Si
Iero
duo
bet I
sic ju
impe
dunt
ipsu
næ ,
quar
ra re
mem
dis p
cum
let &
tulo
dis n
impe
boac
natio
affec
vita
tiffin
tam
utru
con
late
fili
itac
lim
ten

fisco navaret operam. Cum obviam fit Ahias, vates Silunte oppido oriundus; hic amicè salutatum Ieroboamum, seducit nonnihil à via, scissòque in duodecim frustra pallio, quò indutus erat novo, jubet Ieroboamum denas inde partes sumere, DEO sic jubente; nam illa scissione portendi ruptionem imperij Salomonici, cujus successuro filio geminæ duntaxat Tribus essent pariturae, reliquæ decem ipsum pro Rege agniturae; quando verò huius poenæ, stirpi Davidicæ irrogatae, causa non esset alia, quàm Salomonis impietas; sanctiùs ipse coleret iura regni, à Numine delati, territusque exemplo, meminisset reverentiùs habere Leges divinas; Davidis potiùs insisteret vestigijs, & illius in se virtutes, cum corona transferret, si eam perpetuam sibi vellet & stabilem. Cæterùm abstineret tamdiu Regis titulo, quàm diu vita superesset Salomoni: id enim Davidis meritis à DEO tributum, nequid de successoris filij imperio diminueretur. Quantùm lætitiæ attulit Ieroboam ea Prophetæ vaticinatio, tantùm doloris & indignationis commovit in Salomone, quare multiplici affectus tristitia, luctu, ægritudine, omnem prioris vitæ dulcedinem in nauseam esse versam sensit. Potissimum afflixit Ahia fatidica scissura pallij; quare tam Vatem, quàm Vatis auditorem persecutus, utrumque compulit, arreptâ in Ægyptum fugâ sibi consulere, & tantisper apud *Sesacum* Regem in tuto latere, donec fata Salomoni vitam, Roboamo ejus filio potissimas regni vires ademerunt. Salomon itaque delicijs jam acerbis immortuus in gloriæ, olim Palæstinæ gloria, post orbis fabula, an poenitentia tot eluerit labe, incertum; sunt, qui flam-

mis infelicem addicunt sempiternis ; sunt , qui scelerum pœnitentem , piorum in sedes evectum autumant ; sunt denique , qui neutram vergentes in partem , sibi non *liquere* ajunt. Nos cum ijs sentimus , qui Salomonem , pœnitudine commissorum expiatum , cælo donant ; interim ejus nobis periculo timentes , qui sub extremum navigationis felicissimæ cursum , ad blandos Sirenum scopulos impactus , adeò luctuosum naufragium fecit ; postquam anno ætatis decimo nono clavum imperij assumpsit , quadraginta annis tenuit , anno demum sexagesimo cum vita reliquit , ad sæcularem , ut graves viri scribunt , ætatem perventurus , si velu- næ libidini moderari voluisset. Nam voluptas enervat corpus , & corpus animum.

NARRATIO LXXV.
ROBOAMUS STULTUS SALOMONIS FILIUS. 3. Reg. 12. & 14.

Annis Mundi 3060. 3063. 3064. 3076. Anno Chr. 993. 990. 989. 977.

IN adagijs fertur : è squilla non nascitur rosa ; nec mala ex arbore boni leguntur fructus : neque bido de fonte limpida hauritur aqua. Ita etiam de corrupto Parentis sanguine non nisi stoliditas profluxit Roboami , qui defuncto Salomoni successit in Principatu anno ætatis quadragesimo [nam